Vir Nobilissime,

Jam ante, quam Hagam reversus sum, D. Steeso consilium de edenda concione ista, quâ Organi musici materiem pertractavit, mutaverat. Nec dubito, quin aliunde jam hoc resciveris. Ipsam concionem, sed manu exaratam, mihi visam fateor. Quod si haut fortius in publico loquuty est, quam scripsit, pace tua, virorum eximie, dicere ausim, quaesitis et paullo acerbioribus interpretationibus eam gravari ab iis, qui optimo et pio viro invident partem gratiae, quam apud Te habet collectam. Filios tuos, in utraque lingua et cultura morum eleganter proficientes, laetus vidi. Febrilis quidam ignis, qui me decem ipsos dies in lecto tenuit, officia erga ipsos mea minus ad hoc sivit esse frequentia. Ubi vires ad votum recepero, diligentiorem me praestabo. Vale, VIR Amplissime, et favore tuo, uti facis, porro dignare,

Nobiliss. Amplit. T.ae
devotum
J. Heilersieg.

Hagae-Bat. die 22 Sept.
1641.

Exercitum in hyberna reducto, de studiis filiorum deinceps ordinandis, si grave non erit, colloquemur.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 48, fol. 582
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2869